

MONITUM AD LECTOREM.



Decreveram finem imponere Propositionibus hoc Tomo Tertio : Futurum istud facilius videbatur ex eo , quod decem ultime nihil contineant dogmatici , nihil operosam postulans confutationem . Verum & priores viginti novem uberiozem , quam praevideram , ministravere disputationibus materiam , ut licet Synopsis in arctissimum redacta compendium sit ; excedat tamen aliquantulum Tomus hic magnitudinem utriusque superioris , & votum Typographi . Censuere etiam ii , quorum mihi consilium regula est , non adeo , quam statueram , perfunctorie tractari oportere Propositiones decem reliquas ; quia , inquit , etsi ille nihil praesferant dogmatici ; non minus tamen complectuntur veneni pestiferi , & exitialis , quam ulla ex superioribus maxime detestandis . Quapropter reservare expediet decem ultimas in Tomum quartum , qui praeterea dabit totius Ecclesiae erga Constitutionem UNIGENITUS obedientiam , documentis authenticis Episcoporum , Academiarum , aliorumque innumeris comprobata . Locus ibidem erit confutandis objectionibus , si quae interea ab adversariis prodeant , quas toto expecto avidus triennio , ipsique comminati mihi fuerant per devotum sibi Hollandiae Gazettarium mox ut Tomus primus lucem publicam aspexit . Nihil autem infesti operis comparuit haecenus praeter levem mei memoriam in duorum Gallicanorum Antistitum Pastoralis Institutione , & Decreto . Priori , quantum opus fuerat , respondi in Monito Superioris Tomi . Responsum posteriori convenientem differo in Tomum proximum , quem intra menses aliquot , si Superis placuerit , me editurum confido .